



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Quæstio prima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

VII.  
O-  
VII.  
fectam  
quum  
ieiuna  
ntacula  
dine si-  
onnulla  
e lite-  
pprerea  
dignas  
ubi ob-  
nenta-  
ensum,  
do va-  
itaque  
culum  
omnia  
st ma-  
N-  
IENTACVLA NOVI  
TESTAMENTI THO-

ma de Vio Caietani Car-  
dinalis Sancti  
Xysti.



CCVRRVNT in primis  
circa verba domini nostri Ie-  
su Christi, circiter ipsius ex  
hoc mundo transitum, qua-  
stiones quatuor. Prima est de  
verbis Domini in excusatione  
ne Magdalenzæ: Quid mole-  
sti estis huic mulieri &c. Se-  
cunda est de verbis Domini ad discipulos pro emen-  
do gladio: Quando misi vos sine sacco & pera &c.

Tertia est de responsionibus Domini ad suos qua-  
tuor iudices: Annam, Caipham, Herodem, & Pila-  
tum. Quarta est de causa ipsius Domini scripta: Ie-  
sus Nazarenus Rex Iudæorum.

Circa verba siquidem Domini pro Magdalena  
admiramur primò cur reprehensi sint discipuli  
agrè ferentes effundi pretiosum vnguentum in vn-  
ctionem pedum vnus pauperrimi prædicatoris tan-  
tam sanctitatem profitentis. Videntur siquidem ra-  
tionabiliter indignati. Tum quia talis vnctio ad deli-  
cias non qualescunque, sed pretiosas spectare videtur  
magnorum nobilium. Et fortè nullus erat celsus, ve  
vteretur tam pretioso vnguento pro pedibus: sed  
pro capite, Christus autem ignobilis, secundū mun-  
dum (vtpote filius fabri & faber) & pedes eius vn-  
gebantur tam delicata vnctione. Tum quia hodie  
scanda.

## Ientaculi primi.

scandalizaremur, si videremus aliquem prædicatorem sanctæ famæ, permittere se deliniri huiusmodi delitiis pretiosis: multum enim indecens iudicaremus. Tum quia discipulis quibus est mandatum ut amulenter charismata meliora, incumbabant diuertere Mariam ab hac effusione vnguenti, propter opus euidenter melius, scilicet ut venderetur, & pretium daretur in pauperum eleëmosynam.

Admiramur secundò quantum valeat excusatio Domini: Opus enim bonum operata est in me, nam pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Ea differentia namque temporis habendi pauperes, & ipsum (quia illos semper, ipsum verò non semper essent habituri) non apparet vnde inferatur, seu vnde reddatur ratio quòd illa bonum opus operata sit.

Etenim ex ista differentia non tollitur quin vntio illa fuerit excessiua, vtpote delitiosa nimis, & impeditiua melioris boni, scilicet tantæ eleëmosynæ in pauperes: pro quibus tantò magis sollicitum oportet hominem esse, quantò nunquam deficiunt, sed semper durant.

Admiramur tertio de aliis tribus verbis Domini adiectis, tanquam impertinentibus ad excusationem Magdalene vngentis ipsum, quorsum hæc: Apposuit sepulturæ suæ præuentionem, apposuit perpetuam memoriam huius vntionis in laudem Magdalene futuram: apposuit quod fecit hoc quod habuit. Nihil autem horum excusat vntionem Magdalene. Non primum: tum quia præter intentionem Mariæ vngentis erat quod ad sepulturam referretur, opus autem iudicatur bonum secundum intentionem operantis, non enim intendebat illa præuenire sepulturam, sed vngere viuentem Christum: tum quia etiam pro sepultura excessiua erat vntio tam  
pretio

## Quaestio prima.

pretiosa: in cuius lignum Nicodemus pro sepulturae Christi officio mixturam aloës & mirrhæ, & non unguentum nardi pretiosi attulit. Non secundum: quia ad euentum spectat subsequuta laus, non ad intentionem operantis. Non tertium: quia omnino impertinens videtur illa appositio, quum nullus calumniaretur eam quasi fecisset unctionem de alieno, aut de necessario sibi: quorum vtrunque excluditur per hoc quod fecit quod habuit, vt facere bene posset.

**A**d clariorem intellectum Dominicæ sententiæ Aprænotanda est dispositio mulieris unguentis in animo suo, vt percipiatur quale fuerit illius hoc opus ex parte sua. Ipsa siquidem credebat Iesum esse verum Messiam quum soror eius Martha dixerit Domino, Ego credidi quia tu es Christus filius Dei. multò enim magis ipsa Maria hoc credidit, quæ optimam partem elegerat. Credidit quoque eandem habere potestatem dimittendi peccata, iuxta verbum Domini ad eam: Remittuntur peccata tua, fides tua te saluam facit. Amabat quoque multum saluatorem: vt dictum sit de ea: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ex tam sancta igitur mentis dispositione erga Christum videri facile potest Mariam ad unctionem istam processisse, vt multa simul exequeretur officia scilicet humanitatis, gratiæ, ac religionis. Humanitatis quidem: quoniam mos erat in regione illa unctionem exhibere. Vnde & Simon Phariseus quasi reprehensus est à Domino quòd caput eius non unxisset. Et sicut consonum erat inuitato Christo ad cœnam præparare epulas lautiores (quæ scilicet magnatibus solent parari) quando sic decebat inuitantem: ita arbitrata est Magdalena decere se exhibere unctionem tanti viri inuitati delicatam ac pretiosam unguentum. Gratiæ verò: quoniam in memor recepti benefici, remissionis scilicet peccatorum

## Ientaculi primi.

atorum unguendo aliàs Christum debitoricem se arbitrata est, ut iterum quam melius possit ungeret Iesum. Vnde primum pedes, ex quorum priore unctio-  
ne veniam hauserat, deinde caput, à cuius ore verbum & vitæ & vitæ toties perceperat, non solum unxit: sed quodammodo abluic pro quanto versando vas unguenti, effudit illud super caput: ut Euangelistæ testantur. Nec putavit pretiosum aliquid reputandum ad referendam gratiam de tanto beneficio. Religionis autem: quoniam Messia Dei filio offerebat unctioem illam in ipsius Messia secundum assumptam carnem corporale refrigerium: & propterea putavit, & bene, oportere esse optimam ac pretiosissimam huiusmodi unctioem.

Ex quibus omnibus simul collectis, manifestè apparet Mariam secundum rectæ rationis iudicium ele-  
gisse in huiusmodi delicata & pretiosa unctioe bonum ac laudabile opus deuotionis, piique obsequii in dominum Iesum Christum: & propterea discipulos indignatos de hoc, merito à Domino reprehensos, quòd molesti essent mulieri, dicendo: Ut quid perditio ista? Non enim est unguenti perditio, vsus ille unguenti ad quem tot virtutes incitabant: qui pro gratia referenda, pro pietate, proq; religione opportunus erat. Quòd verò ad excusandos discipulos primo affertur (quia nimis delicata ac pretiosa unctio erat respectu tam pauperis, & pedum præsertim) excluditur per hoc quòd Iesus erat & credebatur verus Messias, ac per hoc dignior omnibus hominibus. Et neque hoc neque quodcunque aliud unguentum erat excessuum respectu illius, & pedum eius. Quicquid enim cuiusque excellentiſſimo homini potest exhiberi, minus est ut condignum sit ad vsum corporis ipsius Messia & pedum eius. Extabat nihilominus spiritalis ratio unguendi pedes, quæ dicta est.

Quòd

## Quæstio prima.

Quòd deinde subiungitur de rationabili discipulorum scandalo, excluditur per idem: quia si hodie videremus verum Messiam testibus tormiraculis, teste tunc Lazaro præsentem, qui ex mortuis veniens testabatur illum esse verum Messiam, hoc est regem regum & Dominum Dominantium ( vnde multi ex Iudæis credebant in Christum) nō scandalizaremur rationabiliter: sed rationabiliter admiraremur & stuperemus quod dignatur seipsum sic exinanire, vt istis nostris vnctionibus deliniatur, vt à muliere vngatur vt istiusmodi refrigerii egeat. Irrationabiles autē homines fumerent cum Iuda occasionem scandali. Quod denique subditur de melioris boni æmulatione (qua melius fuisset vnguenti pretium in pauperes erogatum) à Domino excluditur: vt patebit declarata responsione Domini. Sed & ex dictis excluditur quoniam opus tantæ gratiæ, pietatis, & religionis nō est minus bonum quam eleēmosyna illa fuisset in pauperes: imò tantò maius bonum fuit, quātò Christus præstat om̄ib. pauperibus, quātò caput membris quātò Dominus seruis. Arguēdi igitur discipuli erant. Ad admirationem de ratione reddita à Domino, quare opus vnctionis huius non fuerit prætermittendum propter pauperes: dicitur quòd quia discipuli non solùm prætulērunt eleēmosynam, sed vituperauerunt illam vnctionem, dicendo, vt quid perditio ista? ideò Dominus vtrunq; cōfutando, primūm asserit Mariam fecisse opus bonum, & hoc contra illud, vt quid perditio ista? Deinde non fuisse hoc prætermittendum propter eleēmosynam faciēdam: quia pauperes semper haberent, &c. & hoc contra illud, Potuit enim vnguentum istud venundari, & dari pauperibus. Et quidem quòd opus illud fuerit bonum, dominica responsio in singulis clausulis probat. Primum, ex illa præpositione in, dicendo, In me. Vbi

## Ientaculi primi

recolito aliud esse credere Deum, & aliud credere in Deum. Primum siquidē commune est bonis & malis. Secundum autem proprium est bonorum: quia est actus fidei formatæ. Et similiter operari, aliquod bonum opus, commune potest esse bonis & malis, sed bonum opus operari in Christum, proprium est bonorum: quia significatur quod operando quis tendit in Christum, quod est charitatis progressus. Dicendo ergo quod Maria operabatur bonum opus in me: monstravit opus illud esse meritorium, & à charitate procedens. Deinde ex ratione cōparationis ad eleēmosynam, ex qua verumque simul manifestatur.

Et si subtilius fuerit considerata, apparebit quod aliud primo occurso sensus offert, & aliud interius portat. Nam prima fronte ratio dominica ex duplici differentia inter eleēmosynam & hoc humanitatis officium sibi exhibitum, docet non fuisse vnctionem istam prætermittendam. vna differentia est inter tempus instans, & expectans: quia scilicet tempus faciendi eleēmosynam non vrget nunc, sed expectat: quoniam semper est: tempus autem exhibendi mihi huiusmodi humanitatis officia, nunc instat: quia non semper me habebitis in præsentia corporali carnis passibilis in qua sum modò vobiscum, & non solum non semper, sed paucissimis diebus sic me habebitis: fuit enim hoc ante sex dies Paschæ: hoc est sabbato ante ramos palmarum. Altera differentia est inter certam personam & indeterminatos pauperes: quia scilicet obsequium hoc debitum est certæ personæ, mihi scilicet: eleēmosyna autem debita est non alicui certo pauperi, sed pauperibus indeterminatè. Vtranque siquidem differentiam dominica ratio manifestè affert, dicens, Nam pauperes (non hunc vel illum) habebitis vobiscum semper, & non instat nunc necessitatis articulus: me autem (ecce certa persona) non semper,

## Quaestio prima.

semper. Quasi diceret: nunc tantum habebitis, scilicet vobiscum in carne passibili, & indigente his obsequiis conuersantem. Ex ambabus autem differentiis simul iunctis relucet & communis doctrina quod humanitatis officia quae alicui certae personae exhibere postulat certum tempus, non sunt praetermittenda propter communia debita quae indeterminate debemus proximis. Non vult coelestis magister vt non praetermittat conuiuium nuptiale, officium sepulturae, politicum conuictum cum ciue, & similia: vt fiant eleemosynae. Ipse enim qui est auctor gratiae, non venit destruere, sed perficere rationem naturalem. Relucet & specialis ratio facti. Nam ex hoc ipso quod tempus illud quo talis tantusque hospes officiose tractari posset, praeteribat: posthabendi erant pauperes non tunc instantes, quibus aliunde & tunc, & alias poterat bene fieri. Vnde liquet redditam esse rationem, & quod opus fuit bonum, & quod praeposendum fuit eleemosynae pauperum, quae ex illo pretio potuisset fieri.

Continet autem interius penetrata haec ratio ratione personae demonstrare per illud pronomen me, superfluentem causam non solum bonitatis, sed excellentis projectionis huius vnctionis. Tempus namque illud quo verbum caro factum, inter homines homo passibilis, humanisque officiis subditus, dignatum est conuersari: articulum constituerebat vrgentis necessitatis ad exhibendum illi quaecunque passibilia officia & obsequia, nullius pretii, nullarumque delictarum finibus limitanda, quantum est ex parte ipsius meriti, & humani debiti. Vnde nulla ex parte vnctio ista minus bona fuit, sed praeferranda vndique curae pauperum: quae cura quamuis debeat semper hominem sollicitare, non tamen ex alio debito officio auellere: & multo minus tollere debet hoc opus longe excellentius.



## Ientaculi primi

Ad admirationem tertiã de appositis tribus à Dō-  
mino sententiis in hac causã, responderetur. Et circa ea  
quæ de sepultura dicuntur, notandum est vnctionem  
istam relatam esse ad Christi sepulturam ex domini-  
cis verbis, triplici relatione. hoc est per significationē,  
per præuentionem, per durationem. Significauit enim  
vnctio illa Christum dominum sepeliendum esse: te-  
stante domino apud Matt. Mittens hæc mulier hoc  
unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fe-  
cit: hoc est, sepelibilem me iudicauit. corpora enim  
sepelienda tunc temporis vngebantur. Præuenit quo-  
que officium vnctionis pro sepultura vnctio illa: te-  
stante Domino apud Marc. Præuenit vnungere corpus  
meum in sepulturam. Quamuis enim Maria ipsa  
nesciret, Dominus tamen sciebat quod impedienda  
erat ab vnctione ipsius Christi defuncti: quia prius  
resurrexit: quàm potuerit ab illa vngi: & propterea  
nunc præuenisse dicitur officium sepulturæ: Durauit  
quoque vnctio illa vsque ad sepulturam (dicente Do-  
mino apud Ioannem: Sinite illam: vt in diem sepul-  
turæ meæ seruet illud) pro quanto vnctio illa vltima  
fuit quantum ad Mariæ vnctionem: & sic per nega-  
tionem succedentis, seruata vsque in diem sepulture.  
Tanquàm si apertè diceret: Sinite illam: quia ista  
computatur pro tota vita mea vsque ad sepulchrum:  
ita quod nec viuo nec mortuo mihi exhibebit am-  
plius officium vnctionis. Totus autem huiusmodi  
sermo referens vnctionem hanc ad sepulturæ offi-  
cium à clementissimo magistro dictus est: vt intelli-  
gerent discipuli non quare Magdalena vngebat, sed qua-  
re ipse Dominus susciperet vnctionem illam. Magda-  
lena enim intendebat officium humanæ pietatis, gra-  
tiæ & religionis impendere Christo: sed Christus o-  
pus illud suscipiebat vt sepeliendus: tanquàm si aper-  
tè diceret, Non putetis quod vt deliciosus vngor: nam  
vngor

## Quæstio prima.

ungor vt sepeliendus, ungor vt quàm citius mortu-  
rus: non est tempus hoc deliciarum, sed mortis & se-  
pulturæ. Et licet Mariæ animus ad hoc non tenderet  
ex se, vt motus tamen & directus à spiritu sancto ad  
hoc tendebat significandum, præueniendum, ad ser-  
uandum, nesciēs tunc quo ad hoc quid faceret. Quia  
igitur hæc verba non sunt apposita ad alteram ex-  
cusationem Magdalenæ, sed ad rationem ex parte  
Domini quare permiserit se ungi, non oportet mirari  
quorsum hæc. Potest nihilominus hæc sententia re-  
ferri ad Magdalenæ excusationem, intelligendo il-  
lam, vt sit pars prioris sententiæ, vt pote declaratio  
illius dicti, Me autem non semper habebitis. Tan-  
quam expresserit quid intenderit per ly non semper,  
modicum valde tempus: quia proximus sum sepultu-  
ræ: ita quod per hanc adiectionem declaratus est ar-  
ticulus instantis proximæ sepulture, & solliciti timoris  
fouentis animum Mariæ ad hanc vnctionē. Doctri-  
na siquidem Domini de ipsius morte ac resurrectio-  
ne, erat adeò publica, vt etiam ad Iudæorum pontifi-  
ces peruenerit, cum dixerint Pilato: Domine recorda-  
ti sumus, quia seductor ille adhuc viuens dixit, Post  
tres dies resurgam. Et quod tunc proxima esset Do-  
mini mors, Magdalena cum aliis mulieribus audierat:  
vt patet ex eo quòd cum dixisset paulo antè Domi-  
nus, Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius homi-  
nis tradetur, &c. & tertia die resurget: mater filiorum  
Zebedæi petiit, vt filii sui sederent ad dexterā & sini-  
stram ipsius in regno resurrectionis eius. Ex eo igitur  
quod Maria quæ multum diligebat Christum, tempus  
mortis Christi proximum meditabatur, sollicitaque  
erat ne fortè amplius similem commoditatem offi-  
ciosè obsequendi Christo non haberet: oblata tunc  
occasione conuiuii Lazaro resuscitato, vtendum  
duxit. Et sic etiam ex parte solliciti timoris, adhibentis

## Ientaculi primi

quasi-calcaria Mariæ, vnctio ista nonnullum respectum ad sepulturam Christi habuit: & quia tempus vrgens ad vnctionem constituēbat, ad opus illud bonum reddendum pertinebat.

Nec obstat si non tam pretiosa vnguenta ad vsum essent sepulturæ, sed myrrha & alcœ: quoniam ad sepulchra regum preciosiora adhiberi credibile est: & dignitas Messia supra omnes & reges, & summos sacerdotes erat, & est. ita vt nihil quantumcunque aliis pretiosum, ipsi poterat condignè exhiberi. De apposita autem futura memoria huius vnctionis, facile patet quod ad commendationem operis Magdalena spectatur. Tum quia licet laudari præter intentionem Mariæ fuerit, esse tamen opus tale vt sit laude dignum, non est præter intentionem rectè operantis: quoniam intendit opus virtutis, ac per hoc laude dignum. Tum quia laudandum esse ab Evangelicæ perfectionis viris, maximum est testimonium boni operis peracti. Monstrauit ergo dominus vnctionem illam non solum esse irreprehensibilem, & præponendam tunc curæ pauperum, sed optimum fuisse opus: vt pote & dignum perpetua laude, & quod perpetua esset prosequendum commendatione in Dei Ecclesia. Quorum autem verba quæ solus Marcus interserit (scilicet, Quod habuit, hoc fecit) tendant, non est difficile videre. Ad occultam siquidem spectant tam Mariæ mentem, quàm ipsius Domini dignitatem. Murmurabant discipuli de pretiositate vnguenti, respondet Dominus apud mulieris illius animum non esse vnguentum hoc pretiosum, sed si pretiosius habuisset pretiosius effudisset, tanti me fecit. sed quia non habuit pretiosius: quod habuit, hoc fecit. Ac si aperte diceret, Vos arguendam putatis de excessu, & tamen secundum veritatem dignitatis meæ & rectam fidem ac deuotionem huius mulieris, excusanda est quod  
non

## Quæstio secunda.

non plus fecit, sed hoc quod habuit, fecit. Est igitur hæc Domini sententia & ad Mariæ opus commendandum, & ad discipulos confutandum non impertinens, sed opportuna. Hæc de prima quæstione.

**C**irca secundam quæstionem de verbis domini ad discipulos tempore passionis imminuentis (Quando misi vos sine sacco & pera nunquid aliquid vobis defuit? Dicunt ei, Nihil. Ait illis, Sed nunc qui habet sacco, tollat similiter & peram, & qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium. oportet enim impleri de me: Et cum sceleratis reputatus est) quæstione non spernenda consurgit, quo pacto hæc verificentur ad literam: quandoquidem oportet ea ad literam verificare: quoniam & Dominus ad literam loquitur de sacco & pera, ut patet: ergo & de gladio: & discipulis de gladio ad literam intelligentibus & respondētibus, Ecce duo gladii hic: annuit Dominus dicens, Satis est.

Literalem igitur sensum intuendo, admiramur hanc Domini doctrinam. Primum, quia videtur instruxisse discipulos ut sumerent arma defensua pro sui defensione in imminente sibi persecutione Iudeorum: dum vendendam etiam tunicam pro emendo gladio consuluit, & passionem propriam pro ratione assignat: quia ipse ut iniquus tractandus est, sicut & fuit tanquam latro quæsitus & captus, & demum cum latronibus crucifixus.

Deinde quia videtur docuisse discipulos, ut tempore persecutionis arma similiter caperent defensua. hoc enim sequitur ex exemplo sui. Si enim contra persecutionem ipsius capitis sumenda sunt arma, consequens est, ut contra persecutionem membrorum armati progrediamur. Exemplum, inquit, meum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.

Neurum autem horum bene sonat, sed Christiano-